

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA*,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Martis vigesimâ-sextâ mensis Maii, anno Domini M. DCC. LXXVIII.

Mº. GUILLELMO-JOSEPHO DE L'EPINE, Antiquiore Scholarum Magistro, Antiquo Facultatis Decano, & Academiæ Censore, Doctore Medico, Auctore & Præside.

An adeò miserè vivat, qui Medicè vivit ?

I.



ALETE, Artes Apollineæ, si malum malo additis. Nisi per vos vigeat in corpore sano mens sana, iterùm, Artes Apollineæ, valete. Edicto irrevocabili natus inter dolores homo, brevi vivens tempore, quàm multis opprimitur miseriis! felicissimus ille est qui minimis urgetur. Vetat Sapiens ne quemquam viventem dixeris beatum. Quid sit felicitas, meritò ambigunt Philosophi; hanc quærunt omnes, assequuntur nulli. Quid sit miseria, si nesciunt, sentiunt omnes; hanc arcere nocte dieque Reges Pauperesque ruricolæ satagunt æqualiter; Philosophi

* 1743.

D

contemnere ſimulant, at mendaci eorum faſtui ne credas. Beatior ille qui tempori cereus obſecundat. At hoc opus hic labor eſt. Corpus indeſinenter fatigat dolor, hoſtis indefeſſus, acerrimus. Mentem curæ premunt & ærumnæ ſollicitudineſque atque anxietates. Quis Deus nobis inter tot bella, tot hoſtes faciet otia? Verè erit ille nobis ſemper Deus, qui artem tot mala averruncandi commonſtrabit. Deſcende de cœlo, Ars benefica, quâ diſcent miſeri mortales æquum animum & tranquillum ſibi parare, corpus ſanum facere, & cum ſanitate longævam ætatem adipiſci, mentem ſanam in corpore ſano ſervare, frui vitâ, ſi lædatur, tutè & citò revaleſcere, mala imminentia præcavere, futura proſpicere, avertere, præſentia citò citiùs fugare. Ecquis tunc erit miſer? Tam malè cum hominibus non erit actum: nec erunt adeò miſeri.

I I.

DIC age ſodes! Noſtîn aliam in terris felicitatem? mecum ſunto ſemper pax animi, corpus ſanum. Dic, ambo, quæ faciant vitam beatiorem? Num quem cruciat intùs veſicæ, dirus hoſpes, calculus, felicem faciunt principis favor aut Arabum divites Gazæ. Nùm beatus ille qui ſanus corpore medias inter opes inops laborat turpis avaritiæ vitio, torquetur ambitione miſer, iracundus perenni furore tanquàm furiis exagitatur, veſano amore ebrius æſtuat? Næ! Quis non talem ſibi deprecetur felicitatem? At quis poteſt juſtam hanc corpus & animum interſperare concordiam? Bene ſe habet unum, alter læditur: interdùm vexant ſe mutuò: miſer ſic homo pacem inter utrumque citò & harmoniam reducere ſatagat, ſic erit beatus. Verùm quis tantæ pacis ſequeſter? quis arbiter?

I I I.

EN præſtò Medicina; non Deus è machinâ, ſed re-verà cœleſte donum. Quàm malè eſt extrà illius legem viventibus! Quàm benè iis qui ipſi morem gerunt! Vis exemplum! Attende ad homines omnium, ſi qui ſint, miſerrimos, ſcilicet qui gravitèr & periculoſò morbo laborant. Si delirant aut phreneſi corripiuntur, beneficentiſſimam inſcii experiuntur: ſi ſani mente, ſperant ſemper reviviſcere: ſi morti certæ deſtinatis neceſſariò ſit pereundum, fati feſtinantis duram neceſſitatem Medicinæ adjutricis ope retardare confidunt: dolores mitigari gaudent: dulciùs tandem moriuntur. Cave, credas (ut multi) tot malorum cauſam eſſe Medicinam: ante Medicinam malorum Ilias incubuerat terris, ſola ſpes, ſola nempè Medicina remanſit in fundo pixidis Pandoræ: non eſt ergò malorum cauſa dolorumque Medicina: malis jam factis doloribuſque (ſæpe ſæpiùs ob ſui neglectum natis) lenimentum, ſolamen affert ſine fine benefica: leviter laboranti gravius imminens prævertit malum, præſens breve facit. Paulò graviùs afficitur æger? Quò magis in ſervandis Medicinæ effatis ſedulus, eò periculi ſecurior & ſalutis ſuæ certior. Jamne periclitatur & de eo ferè conclamatum eſt? Una ſalus nullam niſi à Medicinâ & religioſâ illius obſervantiâ ſalutem ſperare: certò moriturus necdùm inutilem experitur in ultimo agone Medicinam. Tormenta, cruciatuſque pereuntis ſopiendo, fatalem horam protelare eſt efficax. Sic imminentis tardat lethi gradum medicè vivens, ſic juventutem vegetiorem reddit, ſenectutem tacito pede properantem moratur, ex morbo ſanabili tutiùs evadit, ſecuriùs convaleſcit; inſanabilem faciliùs tolerat, vix perſentiſcit: imò ſanus factus aut natus, felicior vivit & fruitur omnibus cœli, aquarum & terræ muneribus.

IV.

ERGONE ad esuriem nasceretur homo, abstinentiâ macerandus, fame enecandus? Bona verba, quæso, absit ut tam injuriose de optimo nostrûm omnium Parente Deo M. sentiamus. Imò soli sano Medicè viventi tot bonis per universum orbem regali munificentiâ effusis frui datur: ipsi uni promittitur longæva ætas super terram. Solus Medicè vivens salubrem aspectum solis salutiferamque ventorum perflationem in habitationem sibi eliget catus hospes: solus malè-olentem, putidum, crassum, mucidum, ficciorem, urentem aërem aut vitabit aut corriget, facietque propitium. Cibum exquisitiorem, (si adsit) & palato gratiorem non aspernabitur. Deteri? Deteriorem sobrietate beneficum reddet. Gnarus Deum Omnipotentem ideò saporem indidisse edulibus ut salivam moverent, quæcumque ad palatum non facient, respuet illicò, & meliora gustabit, (nec saginans stomachum) nondùm cessante edendi voluptate (iterùm reditura) cessabit opportunè sapiens. Tantamne à temperantiâ voluptatem sperares? Hæc tamèn vera est & sola voluptatum magistra: has illius expers brevì amittas. Est in & ipsis fruendis ars soli medicè viventi cognita; illi soli cibum quemcunque condiet fames nunquàm defectura, si expectata: sobrio illius & abstemio palato, nec siderato fluent quæcumque nectaris aut nativi aut arte factitii, & ambrosiæ rivi ex quocumque solo, ex quâcumque tellure, qui jucundè sitim non proritatam compescent: lassitudinem supervacaneam fugiens non reformidabit necessariam, & sic exercitio moderato voluptatem novam sibi parabit, vividioremque ad repetendos cibos lucrifaciet appetitum: sic digestioni utilem operam dabit, providebit nutritioni opportunæ, favebit egestioni: legitimè tantùm excernenda è corpore doctè eliminabit, retinenda doctior servabit: nec gracilis errore vitæ, nec nimìs obesus, animi perturbationes suæ quieti & tranquillitati (necessariæ ad benè beatèque vivendum) infensas à se exulare jubens sibi ità implerabit ut rationi ex æquo, ut par est, serviant. O felices nimiùm, suam si rationem norint homines, si ipsi auscultare & obtemperare velint! sola dat vera gaudia, nullâ unquàm pœnitentiâ corrumpenda: doctrinam voluptatum ipsa profitetur genuinam.

V

DICET forsan morosus aliquis: quid mihi cum Medicinâ? Benè valeo: bibo, cùm sitio; epulor, ubi esurio; ambulo, cœno, semper præsto fames: mecum lecto componitur, mecum manè evigilat: interdum ludo, interdùm laboro: dùm lubet vigilo, dormio quandoque, nec idcircò res mihi cum Medicis ulla. Cum Medicis? Esto: at cum Medicinâ plurimùm: ecquid gloriaris? Hæc ipsa est & vera & genuina Medicina: naturam sequeris ducem, Medicè vivis & nesciebas! Putabas igitur Medicinam astringere indiscriminatìm iisdem legibus sanos ac ægrotantes? Ne te decipiat tam ridiculus error. Omnia sana sanis: at est sanis diæta, altera causariis, malesanis altera. Medicina omnibus ad benè beatèque vivendum dux utilissima, nec sapiens aspernabitur eam. Docet bonis uti opportunè: bona usu meliora reddere, mala præcavere aut corrigere, pati quidquid corrigere est nefas. Sic hominem beat Medicina. Audias HIPPOCRATEM Romanum. « Qui sanus est & suæ spontis nullis obligare se legibus debet . . . hunc » oportet varium habere vitæ genus, modò ruri esse, modò in urbe, sæpiùsque » in agro; navigare, venari, quiescere interdùm, sed frequentiùs se exercere: » siquidem ignavia corpus hebetat: labor firmat; illa maturam senectutem, hic

» longam adolefcentiam reddit. Prodeft etiam interdùm.... nullum cibi genus » fugere quo populus utatur, interdùm in convivio effe, interdùm ab eo fe retra- » here : modo plus jufto, modò non ampliùs affumere : bis die potiùs quàm » femel cibum capere & femper quàm plurimùm, dummodo hunc concoquat... con- » cubitus verò (*legitimus*) neque nimìs concupifcendus, neque nimìs pertimefcendus » eft : rarus corpus excitat, frequens folvit : cùm autem frequens non numero fit, » fed naturâ, ratione ætatis & corporis fcire licet eum non inutilem effe quem » corporis neque languor neque dolor fequitur ; idem interdiù pejor eft, noctu » tutior..... Hæc firmis fervanda funt, cavendumque ne in fecundâ valetudine » adverfæ præfidia confumantur. » Hifne præceptis homines fieri miferos autumas? Si loquerentur adhuc Delphi, pronuntiarent :

Ergò non adeò miferè vivit, qui Medicè vivit.

DOMINI DOCTORES DISCIPLINÆ MAGISTRI.

M. Guillelmus-Jofephus DE L'EPINE, *Antiquior Scholarum Magifter, Antiquus Facultatis Decanus, Academiæ cenfor, Actus Præfes.*

M. Maturinus NOUGUEZ.

M. Joannes-Jacobus DE LA PORTE, *è Regiâ Societate Medicâ Parifienfi pro Epidemiis inftitutâ.*

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Thomas LE TENNEUR.

M. Antonius-Chaumont SABATIER, *Regis Exercituum in Infulâ Corficâ Medicus.*

M. Joannes MAC-MAHON, *Antiquus Exercituúm Regis & Nofocomiorum Militarium Medicus, Regiæ Scholæ Militaris Medicus ordinarius.*

M. Felix VIC-D'AZYR, *Scholarum Profeffor defignatus, è Regiâ Scientiarum Academiâ, Sereniffimi Comitis Atrebatum, Confiliarius Medicus, Regii Medicorum Collegii Nanceianorum Socius honorarius, in Societate Regiâ Medicâ Parifienfi pro Epidemiis inftitutâ primarius Correfpondens, in eadem Societate Anatomes humanæ necnon & Comparatæ Profeffor a Rege nominatús.*

M. Ludovicus-Alexander GERVAISE.

M. Francifcus THIERY, *Eques, Regis è falubri Confilio Regii Medicorum Collegii Nanceii Socius Honorarius, Regiæque ejufdem civitatis Scientiarum & humaniorum Litterarum Academiæ, necnon Biterrenfis.*

Proponebat Parifiis STEPHANUS CROCHET, Cluniacæus, Doctor Medicus Bituricenfis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parifienfis Baccalaureus.
A. R. S. H. 1778. AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Univerfitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1778.